vxorum, quæ variant hic & ſupra. Nam quæ vxor hic vocatur Adah filia Elon, ſupra cap.26.34. dicebatur Boſmath filia Elon, & quæ ibi Iehudith filia Beeri, hic Aholibamah filia Anah appellatur: Etiam filia Iſmael ſoror Nebaioth ſupra cap.28.ver 9. *Mahalath*, hic *Boſmath* vocatur. Aliqui volunt, has eſſe diuerſas ab illis, quia illis mortuis abſque liberis alias duxerit Eſau: Sed veriſimilius eſt, eaſdem diuerſis nominibus fuiſſe, quia familiare fuit nomina mutare, vt eſſent binomiæ, ſicut & Iacob binomius fuit. Ideo dicit Moſes נשיו *vxores ſuas*, quaſi dicat, tres illas, quas ſupra dicebatur duxiſſe de filiabus Canaan & Iſmaelis: & filia Iſmaelis licet aliter hic nominetur, tamen ex adiuncto patet eandem eſſe, quia fuit ſoror Nebaioth. De ſecunda, quæ eſt Aholibama, obſeruetur, quod dicitur filia Anah & filia Sibon: non quod habuerit duos patres, vt fingunt aliqui Hebræi, ſed filia Sibon dicitur pro nepte. Sibon enim fuit pater Anah verſic.24. quod additur differentiæ cauſa, vt hic Anah filius Sibonis, ab alio Anah fratre Sibonis diſcernatur. Hic vero Anah ſupra cap 26.ver.34. vocatur Beeri: Binomius ergo & ipſe fuit. Vterque ſocer Eſaui ſupra vocatur Hitthæus, hic aliter Hiuæus: qui populi diuerſi quidem fuerunt, vt patet cap.10.15. Exod.3. 8. ſed Hiuæi Hitthęorum territorio ampliſſimo continebantur: Ideo promiſcue ſic vocantur. *Hiuæos* autem eoſdem, qui ſupra cap.14.ver.6. & hic.ver.29. *Horæi* vocantur, incolas montium Seir fuiſſe, collatio ver. 2. & 20. oſtendit: Nam Sibon auus Aholibamæ vxoris Eſau hic Hiuæus, illic Horæus ſeu filius Seir Horæi vocatur. Per nuptias autem Aholibamæ Eſau affinitatem cum Horæis principibus contraxit, cuius occaſione poſtea principatum terræ occupauit. Nam hæc Aholibama fuit proneptis Seir Horæi, filia Anah non illius

A inquam, qui eſt quartus filiorum Seir, ver.20. Sed alterius, qui mulos inueniſſe dicetur, ver.24. filius Sibonis fratris Anæ maioris, nepos Seir. Nec Aholibama eſt illa, de qua ver.25. Anæ maioris filia: Sed eſt filia Anæ iunioris, quæ ibi non memoratur, quia hic indicatur, & quia ibi Moſes ad pronepotes Seir non deſcendit.

6. TVLITQVE ESAV VXORES SVAS. Hic narrat Moſes ſeceſſionem Eſau à Iacobo, & migrationem cum vxoribus familia & ſubſtantia vniuerſa quæ fuit ampliſſima in montanam regionem Seir: Addita cauſa, quia terra peregrinationum eorum, hoc eſt, Cananæa non poterat eos ſimul ſuſtinere, ob gregum multitudinem, pabulorum vero penuriam, ſicut ſupra de Abrahamo & Lotho, cap.13. Erat quidem Cananæa regio ampliſſima, ſed non tota tenebatur à patribus, qui in certis tantum partibus peregrinabantur. Eſt ergo Synecdoche. PERREXIT AD TERRAM nempe aliam. Quæ fuerit, docetur verſu 8. Volunt diu quæſiuiſſe ſedem idoneam, tandem conſediſſe in montanis Seir venationi opportunis. Sed potius videtur recta illuc emigraſſe ad ſocerum Anah territorii principem.

Hic vero eſt quæſtio textualis non parum obſcura, ſupra cap.32.& 33. dicitur Iacob reuertens ex Meſopotamia nuncios miſiſſe ad fratrem in Seir. Et Eſau dicitur fratrem inuitaſſe, vt ſecum proficiſceretur in Seir: Ergo ante reditum Iacobi habitabat in Seir: Quomodo igitur nunc dicitur Cananæam non potuiſſe capere vtrumque, & ea cauſa Eſauum migraſſe in Seir? Variæ afferuntur conciliationes. Non diſplicet mihi noſtrorum interpretum verſio: qui illud מפני יעקב *à facie Iacob*: reddunt ante aduentum Iacob ex Meſopotamia, quaſi migraſſe dicatur Eſau ex Cananæa à patre Iſaaco: eo quod ſubſtantia eorum nempe Iſaaci & Eſaui, mul-